



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Ordo Exequiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versis ad altare majus, vel si conduntur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria, quod etiam pro situ & loco in sepulchro observandum est. Presbyteri verò habeant caput versus altare.

Ceterum nemo Christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam aut coemeterium ritè benedictum sepeliri debet: sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, & interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse.

Quibus non licet dare Ecclesiasticam sepulturam.

Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi; neque quemquam ad illam contra sacrorum Canonum decreta unquam admittat.

Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus: apostatis à Christiana fide; schismaticis, & publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

Se ipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa poenitentiae.

Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa.

Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt.

Iis, de quibus publicè constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierint.

Infantibus mortuis absque baptismo.

Ubi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

Exequiarum Ordo.

Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocentur ii, qui funeri interesse debent, & in domo mortuaria, juxta loci consuetudinem datis certis campanæ signis, conveniant; Parochus indutus superpelliceo, & stolâ nigrâ, vel etiam pluviali

pluviali ejusdem coloris, clericis, vel aliis crucem, & aquam benedictam cum aspersorio præferentibus ex Ecclesia parochiali ad domum defuncti, si verò è pago vel loco filiali distante, ubi cœmeterium non haberetur, cadaver adduceretur, aliquantulum ad locum convenientem, cadaveri obviam procedit, illudque aquâ benedictâ aspergit dicens psalmum **De profundis** cum precibus & collecta, prout sequitur. Interim ^{assignantur} distribuuntur cerei; mox ordinatur processio, præcedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint; tum sequitur ^{si vult} clerus regularis, & secularis per ^{et} Ordinem bini-
que procedunt, prælatâ ^{immediate ante} cruce, Parocho præcedente feretrum cum luminibus. Inde sequuntur alii funus comitantes, & pro defuncto Deum sub silentio deprecantes.

Cum verò in ea processione versùs cœmeterium aliqui juxta priorum librum Agendorum Trevirensium Psalmos poenitentiales hæcenus orârint; alii verò ob senium, visûsque defectum, absque perspiciliis majorem lectionis psalmorum, præsertim accedentibus non nunquam pluvix, nivis, aliisque aëris incommoditatibus, difficultatem experti, & sociis secum legentibus destituti responsorium aliquod pro defunctis ex usu cantârint, & hic usus, utpotè in aliis diocesisibus, prævaluerit: nonnulli tamen, eò quod noster Liber Agendorum pro cantu responsorii notas non habuerit, nec hos, nec illos fuerint imitati, sicque in ritu sepeliendi discrepantia maxima sit animadversa.

Idcirco nunc præcipitur, ut ubique per diocesin nostram Trevir. in via seu processione versùs cœmeterium cantetur responsorium **Libera me Domine**, quod Scholares usu facillè addiscunt, sicque ubi alii cantores non habentur, pastorem adjuvare possunt; quod si via sit longior à versu aut etiam ab initio, prout placuerit, cantus illius responsorii repeti, & per pausas ad cœmeterium usque protrahi poterit.

De profundis &c.

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

R. Do.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus, Domine animam famuli tui (*famulæ tuæ*) ut defunctus (*defuncta*) sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Requiescat in pace. Amen.

Adverte, quod si Sacerdos fuerit defunctus, addatur in collecta: animam famuli tui sacerdotis &c.



Libera me Do mi ne de morte æter na,



in die illa tremenda : **Q**uando cœli



movendi sunt & ter ra. **Vers.** Dies illa, dies



i ræ, dies calamitatis & mi se ri æ! dies

magna

magna & amara valde: **Quando. Vers.** Tre-

mens factus sum ego & timeo dum discussio

venerit atque ventura i ra **Quando. Vers.**

Vix justus salvabitur & ego ubi parebo

Quando & c.

Si prout pluribus in locis consuetudo, rituali Romano conformis habet, corpus defuncti collocetur intrâ templum, ut præsentem corpore missa pro defuncto celebretur; tunc missâ finitâ, aliâ statim, deportatur cadaver ad sepulchrum, sacerdos sepeliens sistit se contra crucem ad sepulchrum, versûs pedes defuncti, retrò astantibus ei ministris cum thuribulo, naviculâ incensi, aquâ benedictâ, & aspersorio, & cantat collectam sequentem.

Oremus.

Non intres in iudicium cum famulo tuo (**famula tua**) Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergò eum (**eam**) quaesumus tua judicialis sententia premat, quem (**quam**) tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat;

P

sed

sed gratiâ tuâ illi succurrente mereatur evadere
 iudicium ultionis, qui (quæ) dum viveret, in-
 signitus (in signita) est sig. naculo sanctæ Trinita-
 tis, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Tum Chorus.



Subvenite Sancti Dei occurrite An-




geli Domini suscipientes animam eius



Offerentes eam in conspectu Altissimi.



Verf. Suscipiat eam Christus qui vo-



ca vit e am & in sinum Abrahamæ Ange li



de ducant e am: Offerentes eam.

Sub decantatione hujus Responsorii funus imponitur sepulchro.

Parochus intonat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Interim

Interim Parochus sepulchrum aspergat aquâ benedictâ,
& thurificet.

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo,

✠. Requiem æternam dona ei Domine.

℞. Et lux perpetua luceat ei.

✠. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; te supplices exoramus, ut quidquid anima famuli tui (*famulæ tuæ*) vitiorum tuæ voluntati contrarium fallente Diabolo, & propriâ iniquitate, atque fragilitate contraxit, tu pius, & misericors abluendo, eamque suscipi jubeas per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum Patriarcharum tuorum, Abraham, scilicet amici tui, & Isaac electi tui, & Jacob dilecti tui, ubi non est dolor, neque tristitia, neque suspirium, sed ubi fidelium animæ felici jucunditate lætantur, & ut in novissimo magni judicii die inter Sanctos, & Electos tuos eum (*eam*) facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam parasti diligentibus te. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deindè aspergatur funus aquâ benedictâ, & dicatur:

Rore caelesti perfundat animam tuam Deus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. **R.** Amen.

Et thurificetur dicendo:

Odore cœlesti pascat animam tuam Deus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. **R.** Amen.

Deindè sacerdos palâ ter projiciat terram super funus dicendo:

De terra plasmâsti me, & carne vestisti me, Redemptor meus resuscita me.

Tunc tumultatur corpus, & Chorus cantat sequens Responsorium.

Antequam nascerer novisti me & ad ima gi-

nem tuam Domine formasti me: Mo do red-

do tibi Creatori animam me am. **Vers. Com-**

missa mea Domine pavefco & ante

te e ru besco dum veneris judi care noli

me



me condemna re: **M**odo &c.

Parochus:

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster.

Iterum aspergit, & thurificat.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Anima ejus in bonis demorabitur.

R. Et semen ejus hæreditabit terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Fac, quæsumus Domine, cum servo tuo defuncto (**serua tua defuncta**) misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui (**quæ**) tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hic eum (**eam**) vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum (**eam**) tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde dicitur Psalmus:

De profundis clamavi ad te Domine. &c.

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

P 3

R. Sed

R. Sed libera nos à malo.

V. Non intres in iudicium cum fidei tuo (*tua*) Domine.

R. Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui (*famulæ tuæ*) ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos, & Electos tuos, resuscitatus (*resuscitata*) respiret.

Deus, in cuius miseratione, animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hîc & ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut, à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui &c.

Hic sepulchrum aquâ benedictâ aspergitur, & thurificatur dicendo:

Rore cœlesti &c. & **O**dore cœlesti &c. ut supra:

& cantat Sacerdos:

Requiescant in pace. **R.** Amen.

Aspergit populum, & recedit ad Sacristiam.

DE